

Favente Divino Numinis.

DISSERTATIO PRACTICA,  
DE

VITÆ GENERE  
PRUDENTER  
ELIGENDO;

Qvam,

Consentiente ampliss. Facult. PHILOSOPH.

Acad. Aboensis,

Sub PRÆSIDIO,

V. Cl.

D<sub>N.</sub> ALGOTHI A.  
SCARIN,

Histor. & Philosoph. Civil. PROFESS. Reg. & Ord.

Publicè ventilandam sifit

REGIUS ALUMNUS


GUSTAVUS BÅNGI

Ad diem **XVII** Aprilis A:o MDCCXLVIII.

In auditorio Academ. majore

---

ABOÆ, Excud. JOH. KÆMPE, Reg. Ac. Typ.



APHORISMUS I.

**H**omo præ reliquis animantibus, insignibus gaudet prærogativis: *ratione*, qva actionum cum felicitate sua, nexus perspicere valet; liberaq; *voluntate*, qvâ actiones ad felicitatem suam tendentes eligere possit, contrarias aspernari. Non ergo *fato* actiones & consilia humana diriguntur. Ipsi modo non nos nostraqve *fato* committamus & rationem ignavam sectemur, qvæ ad incuriam rerum omnium & ad seqvendum præsentis voluptatis impetum, crebro adducit. (\*)

Huc

(\*) Huc spectant aurea verè verba viri illustris  
*Godef. Gvil. LEIBNIZI*, in prætatione ad *Theodio-*  
*caeam*: Maximæ partis hominum, etiam Chri-<sup>“</sup>  
*stianorum* actiones, qvamvis ipfi non satis ag-<sup>“</sup>  
*noscant*, qvandam fati Mahumetani mixturam<sup>“</sup>  
*interdum* redolent. Non feriantur illi qvidem<sup>“</sup>  
*aut* pigrantur, ubi pericula evidentia, vel spes<sup>“</sup>  
*luculentæ* ingentesqve sese offerunt. Nam sub-<sup>“</sup>  
*ducent* le à domo ruinam minitante, ac præ<sup>“</sup>  
*cipitium* in via occurrens cavebunt, terram fo-<sup>“</sup>  
*dient*, ut thesaurum semi conspicuum eruant,<sup>“</sup>  
*nec* exspectabunt, dum ille à fato expediatur<sup>“</sup>  
*penitus*. At ubi bonum malumve aut procul-<sup>“</sup>  
*dissitum*, aut dubium est, & remedium mole.<sup>“</sup>  
*ftiam* habet, aut palato nostro non arridet,<sup>“</sup>  
*tunc enim* vero *ratio ignava* nobis bona esse<sup>“</sup>  
*videtur. &c.*

*APHOR. II.*

**H**omo est animal sociale. Sicut i-  
*pse* aliorum opera eget, sic aliis  
*rursus* opera sua inservire debet. O.  
*ratio*, cuius extra socialitatem inter  
*homines* vix ullus usus intelligi pot-  
*est*, idem evincit.

*APHOR. III.*

**R**Epública est veluti corpus qvoddam  
 A 2 ex

**¶** ex variis constans membris, qvorum singulorum suæ sunt diversæ functiones, qvæ tamen aptam ad se invicem harmoniam habent, & ad conservationem totius conferunt. Si membra mutuam negarent operam, totum corpus facillime periret. Sic ratio qvoque reipublicæ comparata est. Sunt in illa diversæ conditionis homines, qvorum licet actiones ab invicem non parum sœpe distent, tamen ad totius systematis integritatem conservationemqve reqviruntur; adeo, ut membro, uno saltem alterove inde resecto, compositi sui parte non minimâ multatum evadat. Hinc varia in civitate munera ortum habent, publica & privata, qvorum dantur gradus superiores & inferiores, pro negotio,

tiorum, qvæ procurant, majori & minori dignitate, haud secus ac in corpore alia membra *αστχίμονα*, alia *ινσχίμονα* dicuntur. (\*)

(\*) Comparatione à corpore organico, membrorum in illo dissimilitudine desumpta, qvâ vetustissimi sapientes varietatē ingeniorum, & diversas hominum functiones in republica, harmonicē tamen inter se conspirantes, illustrarunt, ulus quoq; est Apostolus, in monstrando discrimine & diversitate membrorum harmonica in civitate CHRISTI: Καὶ γὰρ τὸ σῶμα ὡς ἔστιν ἐπι μέλος, ἀλλὰ πόλις. ἐπὶ ἐπη ὁ πάς· ὅν τὸν ἄνθρακα κείρ, τὸν εἰσὶν ἐπὶ τῷ σώματος· ἢ τῷ φρέσκῳ τῷ τὸν ἔστιν ἐπὶ τῷ σώματος; Καὶ ἐὰν ἐπη τὸ γένος· ὅπ τὸν εἴσιν ὁ φθαλμὸς, τὸν εἴρηται τῷ πάματος· ἢ τῷ φρέσκῳ τῷ τὸν εἴσιν ἐπι τῷ σώματος; ἐι δὲν τὸ σῶμα ὁ φθαλμὸς, πάντα ἀκοή; ἐι δὲν ἀκοή, πάντα ὁ σφρωτος; & qvæ seqvuntur. 1. Cor. XII. a. v. 14. ad 26. Eadem ferè similitudine, qva idem Apostolus mirandam donorum diversitatem & varium usum in ecclesia designat 2. Tim. 2; 20, 21. eodem modo rem se in republica habere præclarè docet PLATO: Εσεὶ μὲν γάρ δὴ πάντες ὃι ἐστὶ τῇ πόλει αἰδελφοῖς αἵτινοι ὁ Θεὸς πλάτιλον ὅσοις μὲν ὑπεῖναι μεταβολὴν ἀρχεῖν. χειρούσαν ἐν τῇ γένεσι συνέκειται ἀνθεῖς. διὸ παιώνεται εἰσὶν ὅσοις δὲ ἐπινεγεότες, ἀργυρεψούσθεον δὲ καὶ χαλκού τοῖς τὸ γεωργοῦσιν καὶ τοῖς ἄλλοις ἀητιαρχοῖς. Libr. III. de Rep. Huc

qvo-

qvoqve spectat apodus Agrippæ Menenii de ventre & artibus humanis dissidentibus, ex historiâ Romana non ignotus.

*APHOR. IV.*

**Q**UAM diversæ in republica functiones necessariæ sint, & singulæ reqvirant peculiarem diligentiam, industriam & attentionem; homo vero, ens finitum, vires ingenii & corporis ad plura simul objecta applicare neqveat; qvin, animus, pluribus intentus, quantum satis est, distincte neqve perspicere possit officia & vitæ munera illa, qvæ diversa statione reqviruntur: Oportet ergo qvemvis certo vitæ generi se addicere, eoqve mature cogitationes & consilia sua referre, ut aptus fiat rebus gerendis cum eo vitæ instituto conexis. Unde patet πολυπαγμοσιη & οψια. esse vitandam.

*APH.*

## APHOR. V.

**H**omo obligatus est legi Divinæ  
convenienter vivere, & societa-  
tis commodis inservire. Tale ergo  
vitæ institutum amplecti debet, in  
qvo legem divinam non violat, nec  
societatem lœdit, id est, *honestum*. Igi-  
tur in ordinanda vita, qvisqvis so-  
lertiam latrunculorum & furum sibi  
ante oculos ponit, næ is non Deum,  
neqve suam, sed brutorum naturam  
sectari, cum veteribus non incommo-  
de dici potest.

## APHOR. VI.

**S**Apientia & prudentia, si unqvam, cer-  
te in ordinanda vita est adhiben-  
da. Acumine qvoqve & ingenio o-  
pus est propter obvias varias diffi-  
cultates. Cum vero multi laban-  
tur anni, anteqvam ipsi has virtu-  
tes

tes intelle<sup>c</sup>tuales conseq*ui* poterimus,  
excutiendisq*ue*, q*væ* hinc illinc sese  
nobis objiciunt, difficultatibus, capa-  
ces evadamus: Igitur illorum erit, q*vo*-  
rum curæ educatio & institutio libe-  
rorum demandata est, sensu & amo-  
re honesti primum imbuere animos  
illorum, mox vitæ generi, ad q*vod*  
a natura propendent, accommodare,  
ut ephebi facti non licenter neq*ue* neg-  
ligenter, sed q*va* oportet integritate  
constantiaq*ue*, q*vod* suum fuerit, recte  
curare possint.

## APHOR. VII.

**A**D ordinandam vitam gradum accele-  
ranti, ingenii & instinctus natu-  
ralis ratio primum est habenda. Ad  
certum enim studiorum genus naturæ  
genius statim ipse propendet. De q*vo*,  
in

in diversis s<sup>e</sup>pe diversissimo , tenen-  
dum , qvod qvamvis ex caussis natu-  
ralibus oriatur, eodem modo , qvo  
*specierum* in corpore humano dissimili-  
tudo formari solet , non tamen , ni-  
si sapienter Deo dirigente , talis ex-  
istat. nempe ut omnibus reipublicæ  
necessitatibus , qvi pares essent , non  
procul abeslent. Naturæ ergo . ceu or-  
dinationi divinæ parendum , omne-  
qve consilium in eligendo vitæ gene-  
re , ad naturam est revocandum. Cic.

(\*) Athenienses , cum pubertatis annos attigissent,  
adolescentes suos ad artes deducebant, ut qvocun-  
que instrumentorum genere delectarentur, hujus  
qvoqve artem edocerentur. Præter alia incom-  
moda , qvibus se objiciunt, qvotqvot , repugnan-  
te natura aliquod laude dignum institutum ad-  
grediuntur , non ultimo loco illud ponendum,  
qvod non ipsos se lolum sed & cæteros , qvi ar-  
tem una cum ipsis eandem professi fuerint, ir-  
risui & ludibrio exponant Hanc inter cæteras,  
cur erudit*i* despiciantur, caussam movere & ur-

get incomparabile eruditorum, quos nostra ætas fert, decus JO. LAUR. MOSHEIMIUS: Malo vero fato evenit, inquit, ut crescentibus doctrinarum finibus & ornamentis, dignitas earum & existimatio eruditorum sensim diminueretur: quod cum a'is caussis, quas sibi prestat, quam explicare, tum multitudini eorum tribuendum est, qui invita natura & repugnante animo ad litteras se applicarunt. Instit. Hist. Christ. Rec. Sæc. XVII. Sect. II p. II. C. 1. §. 9.

*APHOR. VIII.*

**I**N cæteris, quæ ad certum vitæ genus viam quodammodo mununt, præter Parentum auctoritatem, imperium civile, occasionem (a) & quæ cætera sunt, ad fortunæ bona penitus & omnino quoque respiciendum. Sunt munia ad quæ majores, alia ad quæ minores desiderantur impensæ. Ad illa divitibus adspirare facile: Ad hæc iis, qui bonæ mentis sororem, puta paupertatem contubernalem nacti sunt, via patet.

*APH.*

(a) Pufendorff. J. N. & G. I. II. c. IV.

111

APHOR. IX.

**Q**ui ad peculiare vitium natura ferri se lese noverit, caveat ab isto vitæ genere, quod vitio ejus alimentum ministrat. (a) Sic cui calcices pruriunt insultandi aliis, gladiatoria munera fugiat. Qui ad vio-lentiam & quæ eandem seqvuntur vita semet propendere noverit, tabernæ cauponariæ institorem agere metuat.

(a) *Eligere vitae genus, ad quod quis inclinaret, ius sum censem* Thomus Cautel. Jurisp. Univers. Cap XVII. *Sed vitandam penitus & omnino monet electionem vite, in qua irritetur in dies passio dominans.*

APHOR. X.

**A**ntequam quis certo se vitæ generi addixerit, explorare ante omnia debet, quid humeri valeant, quid ferre recusent, ne optionis non rite factæ eundem postea pœnитеат. Computandi sunt ante calculi, quam posuerimus fundamen-

mentum, ne temere posito eodem, si non perficere poterimus, risui & ludibrio aliorum exponamur. (a) Multa vero cum sint obstacula, quo minus ipse quis consulere possit, quod in rem sit, & acutum magis in aliis cerniere soleamus homines, quam in nobismet ipsis, cum quid delinquitur: non illi rerum suarum male satagunt, qui prudentiorum consilium expetunt, iisdemque obedire in animum inducunt. (b)

(a) *Luc. 14: 29.*

(b) Hoc consilium seqvutus est *MINUTIUS* magister eqvitum apud *Livium*, cum in ingens vitæ discrimen adduxisset exercitum, & Q. Fabii Maximi virtute incolumis cum suis servatus esset. neqve nostri ævi sapientes spernendum esse monent; præsertim *MORHOFIUS*, qvi de "Stoicis testatur, qvod felices eos vocaverint, "qvi noscent, qvo qvis genio uteretur. Illos "ιδαίμονας appellatos tuisle dicit, qvibus bonus "obtigisset genius. Verum cum ea solertiâ pau-

ci sint, ut suum ipsi deprehendere ingenium possint; nam certe aliquid vulgari ingenio ius est illi, (quo pauci fruuntur) qui le ipsum satis explorare possit; ac plerumque comparatione ad alios instituta, bonique praceptoris ope id addiscitur. Nobis enim oblistit φιλανθρωπία & insita quædam de rebus nostris opinio, quæ mentis illud lumen in nobis non raro extinguit. Aliorum ergo consilia & judicia incorrupta se quæ oportet, dandaque opera nobis est, ut aliorum ingenia animi nostri ἀνέβηται discernere discamus. *JO. FRANC. BUDDEUS* in *Flagoge Hist. Theol.* L. I. c. II. §. VIII. Optandum esset, inquit, ut quemadmodum Plato in republ. proxenetas inquireret & probandis ingenii necessarios esse duxit, in *Theæteto* p. 542. ita in publicis litterarum domiciliis constituerentur, qui juvenum ingenia adcurate explorarent.

## APHOR. XI.

**E**xplorare ingenia sicut utile & necessarium, sic difficultatum plenisimum opus est. Non primo statim intuitu de indole est pronunciandum. Ad hanc arduam rem perficiendam valde conductit, nosse qualitatem temperamenti, cuius magna vis est in forman-

mandis & fingendis ingeniiis, moribus-  
que hominum. Characteristica *corporis*,  
qvæ est ars judicandi de animo alte-  
rius & inclinationibus, ex corporis  
figurâ, vultu, colore, motu, veteribus  
*Physiognomia* dicta, huic quoque instituto  
inservit. Sic sapientia infinita ordinavit,  
ut differentia in structura corporum dif-  
ferentiam animorum designet. Ex factis,  
nec non habitu & objecto sermonis et-  
iam aliquando colligi potest, qvæ vires  
sint ingenii, qvæ animi indoles. index  
enim animi est oratio. *Matth. XII. 34.* (a)

(a) Ingenium eorum, quos in disciplinam suam  
admisit PYTHAGORAS, explorasse refertur, inqui-  
rendo, quomodo is, qui ad discendum se ei  
obtulit, cum parentibus & domesticis conver-  
fari consuevisset. An intempestive rideret, vel  
silentio multo aut loquacitate praestaret. Ex  
qvibus rebus laetitiam caperet aut tristitiam. De-  
niqve & oris speciem & incessum, totumque  
corporis habitum atque motum adcurate consi-  
derasse testatur BUDDEUS in dissert. de Cultura  
ingenii Cap. II. §. XIII.